

dudum inventa esse ac rectissimè demonstrata supponere solemus; tanquam non aliâ porrò operâ sit opus, quàm ut è sparsis & prolixioribus ejus scriptis in compendia redigamus ac Studiosæ Juventuti propinemus omnem scientiam. Hic autem, si ullibi, locum habet illud Senecæ, quo *multos, ait, ad sapientiam perventuros, nisi crederent ad eam se dudum pervenisse*: Naturalem certè Philosophiam in Systemata priùs coactam ac legibus intempestivis còstrictam, quàm exulta satis esset, valdè dolent hoc ævo Viri magni nominis, VERVLAMIVS ac BOYLIVS, pro sua quippe prudentia facilè perspicientes, multò difficiliùs eliminari opiniones jam sub artis leges receptas ac civitatis quodam quasi jure donatas, quàm excludi nondum admittas, si falsæ fuerint aut manifesto exprimento aut evidenti ratione deprehensæ; id quod etiam vice non unâ magistra rerum experientia docuit. Cujus rei ut unum saltem alterumve exemplum hìc exhibeamus, cùm TYCHO BRAHEVS sub finem superioris seculi immenso labore, observandiq; indefesso studio, sumptu quoque maximo, deprehendisset stellas novas ac temporarias plerasq; in cœlo potiùs supra lunam quàm in aëre moveri, indeq; non minùs quàm ex aliis observationibus circa ordinarios Planetarum motùs habitis cœlorum fluiditatem evidenter demonstrâssèt, orbibus adèò Aristotelicis solidis & concentricis prorsus destructis ac cœlo dejectis; adèò remorabatur affectus in Magistrum nimius Aristotelicorum plerorumq; assensum, ut omnibus viribus gregatim oppugnarent eam veritatem, quam, postquam impetus aliquantulum deferbuisset, eorum successores non potuerunt non admittere, magno interim factò ac pœnitendo dispendio temporis, quod ulteriori rerum naturalium inquisitioni potuisset impendi. Simile fuit recentioris inventi Harvejani fatum de Sanguinis Circulatione, quæ experimentis ocularibus & rationibus adèò evidentibus munita statim sub prin-

cipium